2

DISSERTATIO IVRIDICA

IN QVA AGITVR DE QVAESTIONE AN IVS ROMANVM IVS POSITIVVM CIVILE IN SPECIE IN GERMANIA ESSE POSSIT.

QVAM

PRAESIDE

VIRO CONSVLTISSIMO

IOANNE HARTWICH REVTERO

PROFESSORE IVRIS PVBLICO ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE

Die IAN. MDCCLI.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

VICTOR TOBIAS ERNST

MAGDEBVRGENS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



VIRO
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DN. AVGVSTO
A HAESELER
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS
INTIMIS ATQVE BELLICIS
SVMMO DIRECTORI REDITVVM
DVCATVS MAGDEBVRGICI
DOMINO HEREDITARIO IN HAESELER ET
GESNITZ
DOMINO SVO
GRATIOSISSIMO

NEC NON

VIRO

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. GOTTLIBIO

A HAESELER

AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS

CONSILIARIO REGIMINIS ATQVE CONSISTORII QVAE MAGDEBVRGI FLORENT

DOMINO SVO

INDVLGENTISSIMO



Etsi temere agere videor VIRI PERILLVSTRES, quum opusculo meo tam imperfecto, et ab omni praestantia destituto, amplissima VESTRA NOMINA praescribo; tamen audacter facere malo, quam ingrati animi notam turpissimam ferre. Tanta enim cum admiratione felicitatem VESTRAM intueor, vt quem VOBIS ea in re non dicam anteferendum, sed comparandum arbitrer, inueniam omnino neminem. Si mihi animus esset, virtu-

tes

tes VESTRAS laudibus efferre, ſane mens obſtupefacta miraretur tantam laudandarum rerum adfluentiam, et neſcirem quid primo, quid ſecundo loco proferrem. Taceo autem tot praeclaras virtutes, quae haud indigent laudibus meis exiguis, quum adeo eluceſcant, vt omnium oculos in EXELLENTISSIMA NOMINA VESTRA conuertant, dimitto has, quia non inſtitui illas exornare laudibus. Nihil autem aequiparandum eſt ſingulari VESTRAE humanitati, atque gratiae, quarum argumenta, quae praecipue in me exſtant, tot tantaque ſunt, vt, vbi me verto, veſtigia earum inueniam. Quae quum ita ſint, quis haec ſilentio praeterire poſſet? quis non flagraret cupiditate referendi gratias. Quoniam autem mihi nihil reliquum

eſt,

eſt, niſi animus VOBIS deditiſſimus; in ſignificationem eiusdem primitias haſce manibus VESTRIS offerre audeo. Accipite quaeſo eas ea fronte, qua ſoletis, omnia ea accipere, quae a deditiſſimis cultoribus NOMINVM VESTRORVM PERILLVSTRIVM proficiſcuntur. Quod ſi a VOBIS, ac a tam adcuratis ingeniorum cenſoribus fuero conſecutus, non ſolum laetabor, me ſpe de VOBIS concepta minus excidiſſe, ſed etiam veluti in litterarum ſtadio mihi currenti calcaria admouebitis. Nihil mihi magis curae cordique erit, quam vt Deum T. O. M. implorem, vt VOS praeſtet ſaluos atque incolumes, et gloriam Splendoremque FAMILIAE VESTRAE PERILLVSTRIS, et conſeruet, et au-

geat.


geat. Sic valete VIRI PERILLVSTRES, et nec in posterum amplissimo patrocinio VESTRO indignum iudicate.

PERILLVSTRIVM NOMINVM VESTRORVM

Dabam Halae d. 20. Ian. 1751.

Cultorem deuotissimum

V. T. ERNST.



§. I.



Lex moralis eſt regula actionum moralium. Lex moralis, vel obligationem naturalem ſecum coniunctam habet, et eſt lex naturalis, vel poſitiuam, quae per voluntatem cuiusdam determinatur, et eſt lex poſitiua. Lex poſitiua, vel obligationem diuinam habet, vel humanam. Si prius dicitur lex diuina; ſin poſterius, humana, ſeu poſitiua in ſpecie.

Sch. I. Doctores I. N. et G. etiam de legibus mixtis loquuntur, quae partim obligationem poſitiuam, partim naturalem habent, ſed tota res ita ſe habet. Obligatione, vel ad motiua reſpicimus, vel ad principium cognoſcendi. Si prius, obligatio materialiter; ſin poſterius, formaliter conſideratur. Obligatio diuina et naturalis quoad pſa motiua, ſeu materialiter eſt vna eademque obligaitio, ſed, ſi mixta eſſe debet, quoad principium cognoſcen-

di, seu formaliter sumenda est, quia naturalis obligatio ex ipsa natura, diuina vero, ob defectum cognitionis humanae, ex reuelatione cognoscitur (per princip. I. N.). Obligatio humana autem et materialiter et formaliter considerata mixta esse potest, quia tam quoad motiua, quam etiam ratione principii cognoscendi a naturali differre potest (per princip. I. N.). Leges diuinae ergo formaliter tantum, leges humanae autem, tam formaliter, quam materialiter mixtae seu qualificatae esse possunt.

SCH. II. Significatus termini legis vagus est, sumitur enim sensu octuplici. Regula est iudicium, secundum quod varia determinantur. Varia haec, vel sunt actiones, vel non. Si prius, dicitur lex significatu I. (huc pertinent leges motus). Actiones hae, vel sunt spontaneae, vel non. Priori in casu est lex significatu II. et est vel moralis, vel non. Si illud nomine legis venit significatu III. Sed haec, vel a superiore praescripta est, vel non. Si prius lex audit significatu IIII. et quidem, vel ab imperante ciuili, vel non. Priori in casu lex dicitur significatu V. Si ab imperante ciuili praescripta est, vel personae indiuiduali, vel non, si posterius lex vocatur significatu VI. et si hoc, vel expresse promulgata est, vel non, priori in casu lex est significatu VII. Si expresse promulgata est, vel ab vniuerso populo Romano in comitiis, vel non. Si illud lex audit significatu VIII.

SCH. III. Grotius definit legem moralem, quod sit regula, cui actiones attemperare quis moraliter scilicet obligatur, quae definitio conuenit cum definitione §. 1. adducta, et ex illa sic deduci potest. Lex est 1) regula (per §. 1.) et sic genus definitionis meae, quod sit regula, cum definitione Grotii idem est. Sed 2) actionum moralium. Actiones morales nituntur libertate, libertas adpetitu et auersatione rationali, adpetitus autem et auersatio ratio- nalis

A

nalis distincta repraesentatione boni vel mali, quae dat motiuum, et sic nituntur motiuis actionibus connexis (per princip. I. N.). Nexus motiuorum cum actionibus sistit obligationem moralem (per princip. I. N.). Hinc recte definit Grotius legem, quod sit regula, cui actiones attemperare, quis moraliter scilicet obligatur.

§. II.

Societas est status, quo personae in personam competit ius perfectum atque adfirmatiuum ex communi fine concipiendum. Personae societatem constituentes dicuntur socii seu membra societatis.

Cor. I. Socio ergo in socium, quatenus in societate est, nullum competit ius, nisi ex communi fine conceptibile.

Cor. II. Omnia iura atque obligationes, quibus socii gaudent, ex communi societatis fine deducantur necesse est.

Sch. Statue, homines societatem herilem iniuisse, dominus & seruus sunt membra societatis. Dominus habet ius perfectum in seruum, si officio suo non satisfacere velit, vt eum cogat ad officium suum adimplendum, & adfirmatiuum, quod ad actiones commissiuas se extendit, vt operis suis vtilitatem domini promoueat, sed etiam ex communi fine concipiendum, quatenus seruus obligatus est ad vtilitatem domini operis suis promouendam.

§. III.

Leges, quas membra societatis habent, quatenus in societate sunt, dicuntur leges sociales.

Cor. Leges sociales ex fine societatis communi sunt deriuandae (per cor. II. §. 2. & per §. 1.). Hinc lex vniuersalis

 socie-

societatis est: Dirige actiones tuas ad obtinendum societatis finem communem.

§. IIII.

Leges societatis, vel ex statu societatis essentiali, vel ex accidentali eius fluunt. Leges, quae ex statu essentiali, seu quod idem est, quae ex notione eius fluunt, dicuntur leges sociales naturales, leges autem, quae ex statu accidentali, seu ex circumstantiis fluunt, legum positiuarum nomen accipiunt.

COR. I. Societates, quatenus tanquam societates considerantur, sunt entia eiusdem speciei, et hinc eandem essentiam habent (per princip. metaphys.). Omnes societates ergo, quatenus tanquam societates considerantur, easdem leges naturales habent.

COR. II. Ens, si sub circumstantiis consideratur, tanquam indiuiduum consideratur (per princip. log.). Leges ergo positiuae competunt societati tanquam indiuiduum spectatae.

COR. III. Ens, si existit tanquam indiuiduum existit (per princip. metaphys.). Hinc in societate non solae leges naturales sufficiunt, sed etiam positiuae in illa esse debent.

COR. IIII. Non dantur entia perfecte similia (per princip. metaphys.). Societates in indiuiduo si consideres, non perfecte similem statutum indiuidualem habent, seu sub iisdem circumstantiis existunt, sed quodam in modo adhuc diuersae sunt. Hinc societates non iisdem legibus positiuis instructae sunt, sed leges positiuae vnius societatis, a legibus positiuis alterius societatis differre debent.

COR. V. Determinationes entis essentiales sunt immutabiles, accidentales vero mutabiles (per princip. metaphys.).

 Hinc

Hinc leges naturales societatis sunt immutabiles, leges positiuae vero mutabiles.

Cor. VI. Accidentia entis mutari possunt saluis essentialibus (per princip. metaph.). Hinc leges positiuae in societate mutari possunt, saluis manentibus legibus naturalibus societatis.

Cor. VII. Status entis indiuidualis, si perfectus esse debet, cum statu essentiali eiusdem consentiat necesse est (per princip. I. N.). Leges ergo positiuae, si perfectae sint, legibus naturalibus societatis haud repugnare, sed cum illis consentire debent.

Sch. Plura adhuc consectaria hac de re facili negotio deducere possem, sed acta agerem, quoniam ad scopum meum non pertinent. Qui plura hac de re legere cupit, velim legat Daries Virum Doctissimum in Institutionibus suis iurisprud. vniuers. Sect. III. cap. I. §. 613-634. vbi originem legum positiuarum, philosophice si consideretur, luculentissime ostendit.

§. V.

In societate sunt membra societatis, et habent iura sua (per §. 2.). Sed duplex hic occurrit casus. Vel quilibet sociorum iura sua socialia ipse exercet, vel socii in membrum quoddam societatis iura sua socialia transferunt, quod caput societatis dicitur. Si prius, est societas aequalis; sin posterius, inaequalis.

§. VI.

Capiti societatis competit imperium. Imperium est ius de actionibus entis cuiusdam intelligentis disponendi. Ille cui competit imperium dicitur

 impe-

imperans. In societate inaequali membra societatis iura sua socialia non ipsi exercent, sed transferunt in membrum quoddam societatis, quod caput societatis dicitur (per §. 5.). Iura socialia autem, quae exercet caput societatis, sunt iura adfirmatiua (quae ad actiones commissiuas se extendunt) atque ex communi fine concipienda (per §. 2.) hinc habet ius actiones sociorum ad communem finem societatis dirigendi. Ius actiones alterius dirigendi, seu de actionibus alterius disponendi dicitur imperium (per definit.). Habet ergo caput societatis imperium.

Cor. Ergo est imperans societatis.

Sch. Definiunt ordinarie imperium Doctores I. N. et G., quod sit ius de actionibus entis cuiusdam intelligentis pro arbitrio disponendi, sed terminus pro arbitrio proprio tam vagus, quam superfluus est. Vagus est: sumitur enim 1) pro libertate 2) pro quolibet adpetitu sensitiuo et denotat idem, quod gutdüncken oder eigener Gefalle, et hoc significatu non ad imperium adplicari potest. Superfluus est, si pro libertate sumitur. Nam cui competit imperium illi competit ius (per definit.). Ius est facultas moralis, morale id dicitur, quod per libertatem actuari potest. Hinc terminus libertatis est nota ingrediens definitionis iuris mediata, et hac ratione ex termino iuris iam sequitur, hoc libere fieri debere. Potest etiam sic demonstrari. Nullum nobis competit ius, nisi ad ea, quae nos perficiunt, et nihil volumus pro libertate nostra, nisi quae nos perfectiores reddunt (per princip. I. N.). Hinc, si ius nobis competat de re quadam disponendi, libere fieri debet.

§. VII.

§. VII.

Societati cuidam, vel aliae societates subordinatae sunt, vel non. Si prius, dicitur societas composita seu maior; sin posterius, societas simplex seu minor audit. Societati compositae, vel iterum aliae compositae subordinantur, vel non. Si illud dicitur societas ex compositis composita; sin hoc, societas ex simplicibus composita.

Sch. I. In iure naturae tres tantum societates simplices pertractantur, societas nimirum connubialis, paterna atque herilis, et ex his tribus societatibus simplicibus oritur familia, quae est societas ex simplicibus societatibus composita.

Sch. II. Quid societates subordinare ex iure naturali satis manifestum est, quapropter notiones hac de re euoluere superfluum esset.

§. VIII.

Ciuitas est societas inaequalis plurium familiarum, cuius finis est securitas. Membra ciuitatis ciues adpellantur. Ciuitas est societas inaequalis (per definit.). Hinc quilibet membrorum iura sua socialia non ipse exercet, sed in membrum quoddam societatis transferunt (per §. 5.). Subiectum in quod iura in ciuitate transtulerunt dicitur imperans ciuitatis, reliqua vero subditi.

Cor. Ciuitas ergo est societas ex compositis composita (sch. 1. §. 7.).

Sch. I. Posset quis dubium proferre, hominis etiam in societate non viuentes posse constituere ciuitatem, vide exemplum

plum de prima republica Romana, et hinc etiam familias ad ciuitatem constituendam haud esse necessarias. Sed finge, ciuitatem non ex pluribus familiis consistere, ciuitatis scopum securitatem nimirum haud posse obtineri quis ibit inficias. Mox ad interitum rueret ciuitas, nisi hominis procrearentur, qui de securitate ciuitatis possent esse solliciti.

Sch. II. Ad subditos etiam referuntur sensu generaliori ii, qui sunt in ciuitatis terriorio et non ciues, quapropter etiam adpellantur subditi non ciues, qui tantum obligationem negatiuam habent, vt non agant contra securitatem ciuitatis, sed ad hanc differentiam inter subditos ciues, et non ciues, vt respiciam, non opus habeo.

Sch. III. Definit Vir Exellentissimus Daries in Institutionibus suis iurisprud. vniuers. Sect. V. cap. I. §. 655. ciuitatem, quod sit plurium hominum sui iuris securitatis caussa, cum admisso communi imperio coniunctio, quae definitio ex mea deduci potest. Ciuitas est 1) societas in aequalis, hinc plures homines cogitari debent, qui iura sua non ipsi exercent, sed cum communi admisso imperio (per §. 5. 6. et 8.) 2) Plurium familiarum. In familia pater-materque familias sunt caput familiae (per princip: I. N.) et omnia iura exercent in familia (per. §. 5), hinc si plures familiae se coniungere debent cum admisso communi imperio non dependet a membris familiae, sed a capite cuiuslibet, et tunc illud tantum ad homines ciuitatem constituentis referri potest. Sequitur etiam quia caput familiae sunt, vt non sint sub imperio capitis familiae (per oppos.). Homines, qui non sunt sub imperio capitis familiae, dicuntur sui iuris, hinc homines societatem constituentes sui iuris esse debent. 3) Cuius finis est securitas. Haec differentia definitionis meae eadem est, cum differentia definitionis Viri Con-

sultissi-

fulciſſimi Daries. Ciuitas ergo eſt plurium hominum ſui iuris, ſecuritatis cauſa, cum communi admiſſo imperio conjunctio.

§. VIIII.

Leges, quas membra ciuitatis obſeruare tenentur, leges ciuiles audiunt. In ciuitate autem duplex nexus eſt, vel enim conſiderantur ſubditi in relatione ad imperantem, vel inter ſe (per §. 8.). Prior nexus vocatur publicus, poſterior priuatus. Leges ergo inde oriundae, vel ſunt leges ciuiles publicae, vel leges ciuiles priuatae.

§. X.

In ciuitate ſunt leges publicae (per §. 9.) Hae, vel ex notione nexus publici fluunt, vel circumſtantiis, ~~ſub quibus nexus publicus cogitatur~~, determinantur (per §. 8. et 4.). Priores nomine legum ciuilium publicarum vniuerſalium veniunt; poſteriores autem legum ciuilium publicarum particularium.

Cor. Quicquid de ſocietate valet, etiam de ciuitate, quatenus eſt ſocietas valere debet (per princip. log.), hinc ſequentia conſectaria tanquam ex prono fluunt alueo (per §. 8. et 4.).

I. Omnes ciuitates habent easdem leges publicas vniuerſales.

II. Leges publicae particulares ciuitati competunt tanquam indiuiduum ſpectatae.

III. In ciuitate non leges publicae vniuerſales

 ſuf-

sufficiunt, sed etiam particulares requiruntur.

IIII. Leges publicae particulares vnius ciuitatis a legibus publicis particularibus alterius ciuitatis differre debent.

V. Leges publicae vniuersales sunt immutabiles, particulares vero mutabiles.

VI. Leges publicae particulares mutari possunt saluis legibus publicis vniuersalibus.

VII. Leges publicae particulares, si perfectae esse debent, legibus publicis vniuersalibus non contradicant, sed cum illis consentiant necesse est.

Sch. Terminus positiuum et terminus particulare pro synonimis habentur, et sic etiam leges particulares et positiuae eundem significatum habent; tamen terminus legum particularium magis vsu receptus est in iure publico, quam terminus legum positiuarum.

§. XI.

In ciuitate sunt leges priuatae (per §. 9.). Hae, vel ex notione nexus priuati fluunt, vel ex circumstantiis seu determinationibus indiuidualibus (per §. 8. et 4.). Si prius, dicuntur leges ciuiles priuatae naturales seu vniuersales; sin posterius, legum ciuilium priuatarum positiuarum nomen accipiunt.

Cor. Exinde iterum fluunt consectaria:

I. Omnes ciuitates habent easdem leges priuatas vniuersales, seu naturales.

II. Le-

II. Leges priuatae positiuae ciuitati tanquam indiuiduum spectatae competunt.

III. Leges priuatae vniuersales non sufficiunt in ciuitate, sed etiam positiuae in illa necessariae sunt.

IIII. Leges priuatae positiuae vnius ciuitatis a legibus priuatis positiuis alterius ciuitatis differre debent.

V. Leges priuatae vniuersales sunt immutabiles, positiuae vero mutabiles.

VI. Leges priuatae positiuae mutari possunt saluis legibus priuatis vniuersalibus.

VII. Leges priuatae positiuae, si perfectae esse debent, legibus priuatis naturalibus non contradicere, sed cum illis consentire debent.

Sch. Ciuile in genere dicitur id, quod ciuitatem spectat, et sic termino et de legibus publicis et de legibus priuatis vtimur, sed in specie id ciuile dicitur, quod nexum priuatum concernit, et sic ciuile opponitur publico, hinc leges ciuiles priuatae etiam dicuntur leges ciuiles in specie.

§. XII.

Ius obiectiue sumtum est complexus legum homogenearum.

Cor. I. Possunt leges pro diuerso respectu homogeneae atque etiam heterogeneae esse.

Cor. II. Quid igitur ius sociale naturale atque positiuum, quid ius ciuile publicum vniuersale atque particulare, et quid ius ciuile priuatum tam vniuersale quam particulare facile patet.

Sch. I. Circa definitionem iuris obiectiue sumti haec sunt monenda: Non sufficit ad ius obiectiue sumtum, quod adsit complexus legum, sed leges homogeneae esse debent, seu leges eiusdem speciei. Finge enim te habere complexum legum, sed leges v. g. partim essent Romanae, partim germanicae, partim Danicae, nullus tibi concedet, te habere ius, sed diuersa iura. Statue autem te collegisse complexum legum v. g. Romanarum, tunc esse ius nullus dubitabit, quia leges sunt homogeneae, seu eiusdem speciei.

Sch. II. Terminus iuris valde vagus est, denotat enim 1) facultatem moralem, vti §. 2. 5. et 6 termino vsus sum 2) complexum legum homogenearum 3) id, quod iustum est 4) iurisscientiam seu iurisprudentiam 5) titulum 6) sententiam iudicis 7) locum, vbi praetor sedebat et ius dicebat 8) necessitudinem seu coniunctionem sanguinis, sed in hoc significatu vocabulum ius rarissime sumitur, sed hic significatu secundo, scilicet, quod ius sit complexus legum homogenearum, termino semper vtar.

§. XIII.

Ius positiuum ciuile in specie est complexus legum positiuarum ciuilium in specie (per §. 10. et 11.).

Cor. Omnia ergo, quae de legibus ciuilibus positiuis priuatis §. 10. dicta sunt, etiam ad ius positiuum ciuile in specie adplicari possunt; hinc consectaria ex hoc deducuntur.

I. Ius positiuum ciuile in specie competit ciuitati, quatenus indiuiduum est.

II. Ius

II. Ius positiuum ciuile in specie in ciuitate necessarium est.

III. Ius positiuum ciuile in specie unius ciuitatis a iure ciuili in specie alterius ciuitatis differre debet.

IIII. Ius positiuum ciuile in specie est mutabile.

V. Ius positiuum ciuile in specie non contradicere debet iuri vniuersali ciuili in specie.

Sch. I. Non opus est, vt in definitone iuris positiui ciuilis in specie notio homogenei ponatur, quatenus enim leges tanquam leges positiuae ciuiles in specie considerantur, eatenus etiam sunt homogeneae.

Sch. II. Quam maxime inter se disceptarunt ICti, num ius positiuum ciuile in specie possit demonstrari, sed ex hactenus dictis tota res breuissimis erit diiudicanda: Demonstrare est aliquid ex principiis certis certo modo deducere. Ius positiuum ciuile in specie ergo demonstrare est illud ex principiis certis certo modo deducere. Verum enim vero ius positiuum ciuile in specie ex circumstantiis, seu ex determinationibus indiuidualibus nexus priuati ciuitatis desumtum est (per §. 12. et 10.). Hinc determinationes indiuiduales nexus priuati sunt principium certum. Quum autem ius positiuum ciuile in specie non contradicere debeat iuri vniuersali ciuili in specie (per n. v. cor. §. 13.), hoc etiam dat principium certum. Demonstrat ergo quis ius positiuum ciuile in specie, si illud ex circumstantiis nexus priuati certo modo deducat, sed ita, vt iuri vniuersali ciuili in specie haud repugnet. Sed ius positiuum ciuile in specie ex solis legibus naturalibus ciuilibus in specie deducere idem est, ac illi mensuram heterogeneam adplicare.

§. XIIII.

Ius Romanum est complexus legum priuatarum positiuarum Romanarum.

Cor. Quicquid ergo de iure positiuo ciuili in specie §. 15. dictum est, etiam de iure Romano valere debet, atque exinde haec consectaria fluunt.

I. Ius Romanum competit ciuitati Romanae, quatenus indiuiduum est.

II. Ius Romanum in ciuitate Romana necessarium est.

III. Ius Romanum a iure positiuo ciuili in specie alterius ciuitatis differre debet.

IIII. Ius Romanum est mutabile.

V. Ius Romanum non contradicere debet iuri vniuersali ciuili in specie.

Sch. I. Definitionem iuris Romani vsui loquendi ICtorum esse consentaneam, ex exemplo de lege Romana Falcidia dicta luculenter patebit. Haec lex est 1) lex ciuilis, quia est regula actionum moralium eorum, qui in ciuitate sunt 2) ciuilis in specie, quoniam ex illa cognosci potest, quomodo subditi erga se inuicem agere debeant 3) positiua, et quidam Romana, nam ex determinationibus indiuidualibus reipublicae Romanae desumta est. Sume plures leges, sic habes complexum legum.

Sch. II. An ius Romanum possit demonstrari ex Sch. II. §. 13. facile patet.

§. XV.

Ius Romanum non potest esse ius positiuum ciuile in

in specie in altera ciuitate. Ius positiuum ciuile in specie est complexus legum ciuilium priuatarum positiuarum (per §. 13.) et eatenus competit ciuitati, quatenus induiduum est (per num. 1. cor. §. 13). Ius ergo Romanum, si in altera ciuitate ius positiuum ciuile in specie esse deberet, ciuitati vt indiuiduum, consideratae competeret necesse esset (per §. cit.). Sed ius Romanum competit ciuitati Romanae tanquam indiuiduum spectatae (per num. I. cor. §. 14.). Hinc non alteri ciuitati (per cor. III. §. 4.) et in altera ciuitate ius positiuum ciuile in specie non constituit (per. num. I. cor. §. 13).

§. XVI.

In Romanum non est ius positiuum ciuile in specie in Germania. Germaniam esse ciuitatem lippis atque tonsoribus notum est, hinc omnia, quae de ciuitate §. 15. demonstrata sunt, etiam de germania, quatenus est ciuitas, valere debent (per princip. log.). Patet ergo ius Romanum etiam in Germania non esse ius positiuum ciuile in specie.

Sch. Ex hactenus demonstratis non sequitur, ius Romanum nullum vsum habere in Germania: sed omnino adhuc adplicari posse ad statum Germaniae. Sed quisquis facile intelligit, si adplicari debeat, ita hoc fieri debere, vt ciuitas Romana atque germanica sub iis circumstantiis considerentur, in quibus aliquam similitudinem habent. Sunt autem quidam ICti, qui ius Romanum adeo in deliciis habent, vt non solum nexui priuato cuiuslibet ciuitatis, sed etiam iuri publico atque iuri gentium, ast infausto sidere immiscere studeant. Permultis argumentis

tis hiftoricis fententiam meam corroborare poffem, quam abfonum fit, ius Romanum ad ftatum Germaniae torquere. Sed profecto ampliffimum ingrederer campum, relinquo autem hunc, quum mihi non propofuerim, hiftorice hac de re agere. Habent adhuc antiquitatis ftudiofi campum, in quo infinuata eorum eruditio excurrere poteft. Plura hac de re dicere, temporis anguftiae prohibent, filum igitur differtationis meae abrumpo.

F I N I S.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Vix in praelectionibus iuris canonici diligentiae TVAE quibusue praeconiis mactandae animum aduerteram, dum fpecimen eiusdem proprio prorfus marte exafciatum mihi obtuleris, vt idem illud publice ventilatum in arenam cathedrariam, me duce, defcenderes. Adcepi hanc fpartam hoc lubentius, quo magis aliquid in eo officii vertitur. Quum autem id quidem negotii iurisue

visue sibi datum esse persuasum sibi habere soleant praesides, vt quae ipsis ad palatum non sunt atque a suis ipsorum principiis abhorrent, lituris inducant, addant contra, quaecunque notatu digniora deesse rentur; Certe aliquantisper me suspensum detinuit, an et ego hoc, quicquid est, iuris vterer. Neque enim possum, quin in omnibus, in primis in euolutione legum socialium positiuarum atque naturalium indeque pendentium conclusionum a TVA parte me non stare, ingenue fatear, ne Charissimis Auditoribus, qui mea animo imbiberunt principia, bilinguis, alia in alia cathedra statuens, ipseque trocho fortassis versatilior viderer. Verum quum iuris naturalis et ciuilis in meis subselliis tirocinia haut posueris, in doctrinis vero maxime iuris naturae maximam partem tantum non omnes eiusdem Doctores non conspirare obseruauerim, fere vt qui eos in concordiam reducere satagit, laterem lauet,

atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos,

studiorum autem TVORVM tantam in TE fiduciam animaduerterim, vt TVA, quibus subscripsisti atque telis opponentium exposuisti, principia strenue propugnandi viribus polleas: tantum sane abest, vt cum summa TVI iniuria centonem, spurium, quem neuter suum adgnosceret partum, conficere animus tulerit, vt lucubrationes TVAS doctissime et eleganter conscriptas, nihil omnino, quod testor, iis addens, nihilque detrahens TIBI gratabundus reddam. Macte igitur praeclara hac TVA virtute esto, felicique ingenii TVI ad optima quaeuis nati pariter ac formati ausu! Faxit SVMMVM NVMEN, vt doctrinae laus in dies au-

 gescat

gescat magis magisque, TIBIque maximis fortunis liceat esse ornatissimo. Vale, mihique, quod facis, faue. Scribebam in Regia Friedericiana d 13. Cal. 1751.

VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO

DOMINO AVTORI

S. P. D.

GVILIELMVS SAMVEL AB HERFORD

SILESIVS, OPPONENS.

Praeses TVVS Inclytus, quem ego vehementer Autorem sequor in ratione studiorum, maxime benigno consilio, vt prouinciam susciperem, suasit, vnde Opponentis TVI nomen deriuandum est. Qui prima coepti huius consilii cogitatione deceptus sibi persuasum habebit, me iniusto titulo TIBI bellum, vt ita loquar, esse illaturum, si praeterea resciuerit TE LL. naturae strenue colere meque TIBI adhuc prorsus incognitum fuisse, sicque laesionis rationem et occasionem aucupari, indicaturus est, a vero maxime aberrabit. Alia mens, alius animus est: TVIS verbis locum fecit, monuit, poposcit Praeses Inclytus, vt, cui me nunc accingo, defungar officio, VIR NOBILISSIME. Validitas animi virium et conscientia successus, quocum culturam earum nondum satis diu suscepi, negabant quidem, illius officii executionem eam fore scaturiginem, ex qua TVARVM veri nominis perfectionum cognitio, applausus, honores promanarent. Cur ergo arceam, qui digniores me TECVM

in

an arenam descenderent? Nonne laedo, si eximiae TVAE specimine Eruditionis publico mihi ingenii documento elegantissimi agnito, solidissimis mentis praerogatiuis praeditos; specialiora distinctius perspiciendi, in generalioribus principiis versatissimos, in quorum animi facultatibus plus quam in meis, tantum pene ac in TVIS est, vt periculum TECVM faciant, non permoueo? Minime. Licet enim in praesentiarum adeo felici mihi esse, vt in typo hunc distinctarum idearum statum experiar, quem ardentius exopto, aemulatione quicquid sum ad eum profecturus acceptum TIBI referam. En optima huius negotii consectaria! Encomiis iam grauis fluat oratio, sed et iis delineandis impar sum. Si quid humeri valeant audeo, tantum profitebor, TE exantlasse laborem laude dignissimum. Profitebor ingenium, acumen, dexteritatem, methodum admirabilem prodi dissertatione. Quin elaboratio ipsa TVAE ~~laudis verae testis est solus dignus~~ fide abundans. Nihil itaque reliquum reor, quam vt pia mente manuque vota adiiciam. Gratulor ergo TIBI de spatio studiorum curriculi feliciter emenso, ope cuius ipse TVA optime testaris encomia. Gratulor Patriae, quae TVO labore improbo in rebus gerendis mox fructura est. Gratulor Genti TVAE splendidissimae, quae TE, familiae Deus desideratissimum, profunda rerum cognitione imbutum ouans recipiet. Viue diu! sint vota TVA semper completa! Denique etiam atque etiam vale meique semper memorem esse beneuolus perge. Dabam in Fridericiana d. 23. Ian. 1751.

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

RESPONDENTI

AMICO AESTIMATISSIMO

S. P. D.

ADOLPH ERIEDERICH. LOCCENIVS

STRELITZA MEGAPOLITANVS

OPPONENS.

T*VAE in FRIDERICIANA adquisitae eruditionis specimen magna cum cura magnoque iudicio confectum eruditorum subiicis examini, opponentis vero mihi spartam demandas VIR PRAENOBILISSIME. Non ex consuetudine ex ipso potius opere de illo TIBI publice gratulandi me obligatum censeo. Delicatae enim partim materiae delectus, partim methodus, qua in amice inter se conspirantibus connectendis veritatibus vsus fueris, TEcuilibet lectori cordatiori in vtroque firmum sistunt, gratulationemque exigunt. Praeprimis autem scribendi illud genus eo maiores TIBI conciliat laudes, quo magis ceu inauditum tyrannide quasi consuetudine plerorumque obtusae aures illud perborrescunt, ac vt pestilentiale malum damnant exsecranturque. Non desunt, quidem, qui salutarem tradunt regulam: Summa cum diligentia ei agendum esse, qui sacris Themidis imitiari cupit, vt non tantum conceptus entium moralium cum legibus ac regulis iuris memoria teneat, sed etiam haec omnia rite inter se digesta in systema veri nominis intellectu comprehendat; quomodo autem facillime systema, quod desiderant, obtineatur, in desideratis relinquunt, aut ad minimum non conveniunt eruditi. Optimam TV optimorum sententiam sequutus es, quorum vestigia et ego persequi enitor, illisque insisto. Hi enim volunt,*

lunt, vt regulas cogitandi ex logica diligenti tractatione distincte cogitas, iuncto sanioris philosophiae, huiusque principiis subnixi Iuris naturae studio iustitiae studiosus sibi familiares ante reddat, quam ad ipsa artis aequi bonique praecepta imbibenda animum adpellat, ne rem maximi momenti, bona, honorem, et vitam civium spectantem illotis, vt aiunt, manibus tractasse videatur. Et certe non tanta leguleiorum, et rabularum fora circumstreperet turba, qui verba crepant legum vim autem ac potestatem verborum ignorant cum ignarissimis. Haec exosa bonos natio adeo omnem sanae rationis sensum eiurasse videtur, et quum rationum pondera pensitare non queunt, solis umbratilium magistrorum reguntur opiniobus, eumque demum officio suo omni ex parte satisfecisse sibi persuadet, qui amplissimis amplissimorum Doctorum sibi adsentientium turmis instructus in aciem prodire nouit. Sed quo fato trahor, quidque longa hac de re oratione ad TE opus? cui eamdem mecum sedere animi sententiam multis ex rationibus patet. Non dubitasti nimirum exemplum imitari eorum, quibus nos ambo in abscondita artis nostrae adyta penetranda praeceptoribus, pia mente deueuerandis, magistris in methodo felici cum successu vsi sumus. Omni enim cura omnique folertia lucubrationibus philosophicis primitias tribuisti diligentiae, sanioris philosophiae principiis satis instructus operi demum ipsi manus admovisti; artisque praeliminaribus degustatis ad intricatas multaque incertitudine involutas Iuris nostri theses ipsas evoluendas progressus es. Non profundes igitur lacrymas eorum instar, qui in Theoria iuris nihil solidi, nihil certi, nihil, cuituto fides haberi possit, esse, adeoque in adplicatione eiusdem ad facta obvia omnes non posse non fluctuare, ac velut incertis agitari procellis queruntur, principia scilicet et huius disciplinae dari certissimum habes, ipsa nouisti et tenes, et quomodo illis data occasione, datore casu, vtendum sit logica viam sternit, hunc in finem non autem in spem futurae obliuionis concocta. Omnes fere numeros impleuisti TIBI ergo, FAMILIAE TVAE, et omnibus, quibus inposterum puriori iustitia auxilio eris toto expecto

re ad profectus in iure nostro non possum non gratulari. TV propriis non autem alienis vides oculis; FAMILIA TVA per se effulgens ex TE nouum splendorem excipit nouamque lucem, Cohors denique patrocinium anxie ex TE quaerentium TE defensore contra omnes effrenatorum adgressiones tutissimus stabit. Sic TIBI satis omnibusque exspectatissimus eris. Vale mihique faue. Dabam e museo Halae propter salam d. 23. Ian. 1751.

HALAM dum linquis, specimen doctumque relinquis
Deliciumque meum, deliciumque PATRIS
Et dissertando veneraris regia iussa
Det DEVS, vt studiis praemia digna feras.

Amoris ergo Per-eximio DNO. Resp. Consobrino suo delectissimo Gratul. Scrib.

I. I. PLAEN,
Past. Vaethens.

MONSIEUR
MON PLUS CHER AMI

Quoique je n'aye pas besoin de chercher des occasions, pour VOUS donner des epreuves de ma tendresse deuë â l'amitie, donr VOUS me croyés digne jus qu'içi; (car je me flatte, que VOUS êtes suffisamment persuadé de

de mon amour) je le trouve pourtant à propos de profiter de l'occasion favorable qui se presente à mon ardeur de satisfaire à mes devoirs, en temoignant au public, quel cas je fais, de mes amis, principalement de VOUS, qui VOUS êtes un de ceux, qui sont une partie de mon coeur. Que tout le monde sache donc, que je VOUS felicite cordialement de l'applaudissement à VOS disputes, que VOUS venés de recevoir, & que je n'ai rien tant a coeur, que de meriter toujours le nom de

VOTRE

Halle le XX ieme d. Javiens
MDCCLI.

Ami le plus sincere

Jean Godefroi Kayser

Etudiant en droits natif de Magdebourg.

DEr Brennen Numa gibt geseze
Und schüzt Astrdens Helligtum.
Schenckt iren Priestern Huld und Schäze
Verschaffet inen Er und Rum,
Freund! der sich iren Dienst geweihet
Sei stolz, denn **Friedrich** ziert den Tron
Dir, dem nur Wissenschafft erfreuet,
Erteilt unß seine Huld dem wolverdienten Lon.

M. P. v Katt.

Freund!

Freund! den nie ein fauler Schlummer wieget
Der den Reiz, der in der Tugend lieget,
Und das, was man ware Ere nennet
Anschauend kennet.
Was uns Wissenschafft und Wahrheit zeigen
Machst Du dir begierig forschend eigen
Und versuchst es Dich zu höhern dingen
Empor zu schwingen.
Heute, da Dich Rum und Beifall schmücken
Will auch ich die Regung nicht ersticken
Und Dir Glück auf Deinen Eren-Stuffen
Frölich zu ruffen.

Dies schreibt zum geneigten Andencken des
Herrn Respondentis aufrichtiger
Freund und Diener

D. W. L. von Eldit
aus Saltze im Magdeburgischen

Du zährtlich treuer Freund zeigst zwar im Wort-Gefechte
Du könnst Dich unbesiegt gelert bestritten sen
(Der Ehre muß man auch, wie Du entgegen gen)
Wie aber wär es wenn dein Freund den Saz beibrächte:
Ich liebe Dich so starck, so standhafft, und so rein
Daß Du mich zwar kannst auch so zärtlich lieben
Doch kan kein trieb von Deinen trieben
Noch feurger als der meine sein.
Getraust Du bester Freund Dich dieses umzukeren?
O hier besieg ich Dich! das soll mein Herz Dich leren

Aus wahrer Freundschafft schreibt
dieses

Anton Ulrich Süsterman
D. R. B. aus Hildesheim